

M O R E A,

olim

PELOPONNESVS.



Eloponnesus à Ptole-  
mæo, Strabone, Ste-  
phano, Procopio, ce-  
terisque Πελοπόννησος,  
vocatata; Peninsula  
est, hodie Morea à  
Maurorum fortasse  
incurfionibus audit.  
olim Apollodoro &  
Plinio testibus *Apia*

finibus & portibus refertissima est, quos pro-  
montoria multa efficiunt. Peloponnesum inco-  
luere *Elii, Messenii, Archivi, Sicyonii, Corinthiaci, Laco-  
nes, Argivi & Arcades.* Fuitque hæc Græciæ pars <sup>Imperium.</sup>  
toto Orbe quondam maxime celebrata propter  
*Mycenarum, Argivorum, Lacedæmoniorum, Sicyoniorum,  
Elienſium, Arcadum, Pyliorum & Messeniorum* Respu-  
blicas & Imperium, ex quibus multi claruerunt  
Principes, ut *Agamemnon, Menelaus, Ajax & alii;*  
ac loci ipsius tum situs, tum majestas Imperium  
quondam totius pene Græciæ obtinuit. At ho-  
die tota *Peloponnesus Turcarum* dominio subje-  
cta est, quemadmodum & reliqua Græcia, licet fu-  
erit ab aliquot *Regulis* Græciæ, quos *Despotas* vo-  
cant, & à *Venetis*, annis superioribus ignaviter de-  
fensa. Præest autem nunc *Turcæ Imperatoris*  
nomine toti *Moreæ Sangiacus*, inter ceteros po-  
tentissimus, qui *Modonæ* moratur, & ad manda-  
tum *Beglerbeji* totius Græciæ mille equites addu-  
cit, quos suo stipendio alit. Vocatur hic *Sangia-  
cus* à *Barbaris Morabegi*, cujus annuus in hac Pro-  
vincia reditus est 10 cc mill. asprorum, hoc est  
xiv mill. aureorum. Univerſam autem hanc  
regionem in octo Provincias fuisse divisam ex  
Ptolemæo & aliis auctoribus constat, quæ sunt  
*Corinthia, Argia, Laconica, Messenia, Elis, Achaja,  
Sicyonis & Arcadia.* *Corinthia* in Isthmo sita est: no-  
men ei à primaria urbe, quæ primum *Ephyre* di-  
cta fuit. Eam *Florus Græciæ decus*, Cicero meri-  
to totius *Græciæ lumen* vocat in oratione pro lege  
*Manilia*, addens, quod à *L. Mummi* extinctum pa-  
tres vestri voluerunt propter legatos ibidem tractatos in-  
juriosus. Quæ everſio incidit post annos non-  
gentos quinquaginta duos. Hæc urbs ab *Alete*  
*Hippolis* filio erat condita, uti *Paterculus* com-  
memorat. In actionibus vero contra *Verrem*,  
*urbem pulcherrimam, atque ornatiſſimam, plenissimam*  
*rerum omnium: Agrum ejus optimum ac fructuosissi-  
mum.* Quemadmodum *Livius* etiam eundem  
*nobilissimæ fertilitatis agrum* appellat. Et in *Aristi-  
de* *Plutarchus* *Corinthum* post *Athenas* ac  
*Spartam* in maxima auctoritate, ut ipse inquit,  
*διζιώματι* fuisse tradit. Vtrimque portum habuit,  
quorum alter *Asiam*, alter *Italiam* spectabat;  
qua oportunitate loci urbs subito crevit. juvit  
eam etiam *Isthmicorum ludorum* celebratio.  
*Acrocorinthus* in monte erat 111 stadiorum ac di-  
midiatum altitudine, sub ea erat *Corinthus* ambitu  
40 stadiorum. In vertice montis ædes erat *Ve-  
neri* sacra, de qua præter *Athenæum* *Strabo* lib.  
8 meminit. Huic vicinus fons *Pirene*, quem fa-  
ma finxit à *Pegaso* illic unguæ ictu excussum.

Varia ejus  
Nomina.

*ἀπια, & Pelasgia πελασγία, vocata fuit Argos ἄργος,  
& postea Argos Achaicum nuncupatum tradit  
Strabo: Achajam Oroſius 1, cap. 11, Item Apule-  
jus 6 Afini. Pelopia, πελοπία, etiam Eustathio: Ina-  
chia, ἰναχία, Stephano. Egialia vocatur quoque in*

Vnde dicta.

*Eusebii Chronico. Peloponneso nomen est à Pelope  
homine barbaro, qui ex Asia profectus hic re-  
gnavit. Pelopis enim insulam sonat, cum insula  
non sit, sed peninsula, platani folio, ut scribit Me-  
la, simillima; pari pene longitudine & latitudine.  
Ejus perimetrus est 4000 stadiorum, quibus  
Artemidorus addit 400. Isthmo adhæret conti-  
nenti, cujus latitudo est stadiorum 40. Præci-  
pius inter *Sangiacos*, quorum sunt numero 40, est  
*Morabegi*, Rector totius *Moreæ*, habitans *Mo-  
denæ*, qui tempore belli *Beglerbejo* *Vromeli* five *Ro-  
mano* mille equites bene armatos suo stipendio  
ordinarie adducit. De hujus finibus quum diu  
multumque Peloponnesiaci cum Ionibus cer-  
tassent, tandem posuerunt columnam commu-  
ni arbitrio, cujus in parte altera erat τὸ δὲ ἐπὶ Πε-  
λοπόννησος, καὶ τὴν Ἰονίαν. In altera τὸ δὲ ἐπὶ Πελοπόννησος,  
καὶ τὴν Ἰονίαν. Angustias istas perfodere multi irritò  
ausu tentaverunt, quos inter *Demetrius, C. Cæ-  
sar, Caligula, Nero & alii*: quo instituto frustra-  
tis, murum ducere placuit, quem *Hexamilium* vo-  
caverunt. Eum *Amurathes Turca* dejecit, *Ve-  
neti* restituerunt anno 1453, spacio 15 dierum:  
sed *Turcæ* iterum eum postea solo æquarunt.*

Sinus.

In hoc Isthmo *Neptuni* olim templum fuit, ad  
quod *Ludi Isthmici* celebrati. Ceterum *Peloponne-  
sum* ad Ortum respicit Mare Creticum; ad Occa-  
sum Ionium five *Hadriaticum*: ad Septentrio-  
nem *Corinthiacum* habet Sinum & *Saroni-  
cum*, inter quos Isthmus clauditur: ad Meridiem  
habet mare *Mediterraneum*. Peninsula porro  
hæc caput & arx totius Græciæ est, & ut ait  
*Plinius*, haud ulli terræ nobilitate postferenda.  
Ea siquidem rebus omnibus, quæ vel ad victum  
uberiorem, vel ad elegantiorum vitæ cultum  
spectant, sua fœcunditate affluentiaque insignis  
est; colles enim & planicies frugiferas habet, ac

Italia.

Argia